

affectibus adnumerandum: sæpè enim natura hoc utitur
ut fonticulo, ad evacuandam sic materiam peccantem.
Sæpe subsistit ad aliquot menses circum uterum, & in u-
teri corpore aut cervice materia restitans abscessum fa-
cit, & à rupto abscessu ulcera putrida & cancrofa modò
in utero, modò in inguinibus; sæpè etiam in coxis, ait
Ambrosius Paræus lib. de homin. gener. cap. 59.

Albertin. Botton. loco cit. scribit: Si diu perdurat
hic fluor, ad tabem primò miseras mulieres assolet perdu-
cere, denique ad mortem.

III. MODUS EVENTUS. Salutem fert profluvium,
quod sine fœminarum gravi molestia & dolore evacua-
tur, pravaq; symptomata desunt. Si per hæmorrhoides
aut diarrhœam evacuetur, bonum.

Exitiosum verò, quando materia cerebro, & ner-
vofo generi communicatur, nam *Hipp. lib. 5. aph. 56.* ita
ominatur: *Ἐπι ῥοῶ γυναικείῳ πασμῶς καὶ λειποθυμίῃ ἢν ἔπι-
γένηται, κακόν,* si ad muliebrem profluvium convulsionis vel de-
fectionis animi accessio adjungatur, calamitosum. Ratio
hæc est, quia hoc malum semper exinanitiones requirit:
alibi verò *Senex* dicit, convulsiones ex inanitione letha-
les sunt. Si in paralyfin, apoplexiam, maniam uteri-
nam aut similem gravem affectum fiat transmutatio, sæ-
pissimè lethaliter terminatur.

CAPUT IX

indicationes exponit.

EXpertum nunc fluoris nostri naturam, eò celerius è péla-
go causerum & signorum medendi littora appellimus,
& salutaribus ægrotantibus aptis præsiidiis occurrimus.

Medendi verò methodus suis absolvitur INDICA-
TIONIBUS, curatoria, præservatoria, & vitali.

I. CURA-